

FRANCISCI BALDUINI  
ELOGIUM  
EX  
AUBERTI MIRÆI

*Elog. Belgii Decad. V. p. III. 94.*



Clarissimos hosce Præsides FRAN-  
CISCUS BALDUINUS excipiat;  
illud non solum Belgii, sed  
Galliæ totius immortale or-  
namentum. Is vetere, & illustri Atre-  
batium urbe ortus, ANTONIUM patrem  
habuit, fisci regii apud suos procurato-  
rem. Admodum puer Lovanii Græcis,  
Latinisque litteris informatus, peracri in-  
genio ad Juris Civilis studia converso, ar-  
cana scientiæ tantâ celeritate complexus  
est, ut doctoribus suis in his GABR. MU-  
DÆO admirationi esset. Puber factus dum  
in aulâ CAROLI V. Cæsaris cum JOANNE  
Marchione Bergensi versatur, contigit, ut  
in cubiculo Principis, urgente siti, vinum



Imperatori ante somnum offerri solitum intrepidus biberet. Quo audaci facto magis innotuit, mirante CAROLO, probanteque formosi adolescentis audaciam. Nec res augurio caruit, fore & eum, qui Cæsareas Leges penitus imbiberet.

Lutetiam Parisiorum postea se contulit, ad exploranda clarorum virorum ingenia; moxque GUIL. BUDÆO, & LAZ. BAYFIO Jctis, & libellorum supplicum Magistris, aliisque viris magnis innotuit. Hinc in Germaniam ad MELANCTHONEM, & BUCERUM, dein Genevam Allobrogum ad CALVINUM, & BEZAM profectus, ab auctoribus, ac defensoribus novarum sectarum intelligere voluit, quas ob causas à Romanâ, & veteri Ecclesiâ discessissent. Quorum impia commenta, depravatâsque opiniones non probans, CALVINUM inprimis ajebat sibi displicuisse ob seditiosum, turbulentumque ingenium, quod in eo deprehendisset. Lutetiam reversus à Biturigibus ad docendi munus accersitur, futurus collega EGUINAR. BARONIS, & FR. DUARENI Jctorum, pârque de publico stipendium accepturus. Mox incredibili omnium studio, voce BARONIS Doctor renunciatur. Septennio hîc exacto, Ger-

Gerr  
obivi  
succe  
in G  
Nava  
ralen  
Audi  
mult  
Ac r  
bellis  
pariar  
Hilpar  
Duaci  
excita  
propo  
sios  
VARO  
ter, h  
gicis t  
gisque  
quot  
dæ ux  
pristin  
tionem  
num ju  
bant, i  
tunt, p  
E flucti  
cum ve



Germaniæ Academijs aliquot docendo obivit ; JAC. CUJACIO doctissimo JCo successore apud Biturigas cooptato. Post in Galliam ab ANTONIO BORBONIO Rege Navarræo revocatus, filium ejus naturalem CAROLUM in disciplinam accipit. Audito Regis ad Rothomagum casu non multò post puerum in Galliam reduxit. Ac tum quidem renascentibus in Galliâ bellis civilibus, seriò cœpit de reditu in patriam cogitare, civibus suis, atque Hispanis per Oratores rogantibus, ut Duaci Flandrorum, in Academiâ recens excitatâ Juris Civilis scientiam, amplo proposito honorario profiteretur. Ad suos itaque reversus â FERDINANDO ALVARO Duce Albano Belgii Prorege comiter, humanèque susceptus est. Sed Belgicis tumultibus paullo post magis, magisque ingravescentibus, missione aliquot dierum impetratâ, specie adducendæ uxoris, ac Bibliothecæ, Lutetiam ad pristinum docendi munus revertit. Ventiones interim vetustissimi Sequanorum jure Academiæ instituendæ, ut agebant, impetrato, per nuntios eum invitant, pactique de stipendio abducunt. E fluctibus Galliæ iterum æstuantis, in eum veluti portum secedens (belli enim



civilis rapinas, furta, cædes detestabatur) repperit MAXIMILIANI II. Cæsaris voluntate vesontiones prohibitos juris scholam instituere. Hortantibus nihilominus, ut Jus Civile interpretaretur, nefas est, respondit, juris auctorem ab interprete juris contemni. Itaque digressus inde, rogatu multorum, Andegavum ad scholam revocandam se contulit. Ubi cum annos ferme quatuor florem Gallicæ juventutis Juris Civilis cognitione imbuisset, HENRICO tum Andium Duce in Regem Poloniæ electo, Lutetiam ab eo venire jussus est, mense Augusto: quo tempore magnificentissima Legatio Polonorum adfuit. Collocutus cum omnibus, magnum suū in exterorum animis amorem excitavit; putabatūrque ineunte vere in Poloniam profecturus, nisi conditionis humanæ necessitas jurisconsultum totius Europæ summum, ardore continuæ febris diu vexatum, antè sustulisset.


Staturâ fuit justâ, formâ eximiâ, & per omnes ætatis gradus venustâ, oculis acribus, ac nitidis. Vocem habuit canoram, firmissima latera, ut docens PERICLIS instar tonare, ac fulgurare videretur

recte  
ut  
apic  
Hif  
edit  
fessu  
tiâ c  
cam  
cony  
nem  
sono  
haber  
Cice  
quer  
tiam  
tres a  
refar  
runtq  
lum,  
quâm  
dam  
Luce  
gentis  
& filie  
ritu C  
Fide I  
fuit m  
miliarie  
cus So



retur; duarum maximarum scientiarum, ut erat memoriâ prope divinâ, summos apices complexus est, Juris Civilis, & Historiæ. Dicere enim solebat, & scripto edito, ut posteritas exaudire posset, professus est, Historiam cum Jurisprudentiâ conjungi oportere; hanc sinè illâ cæcam videri. EX CATHARINA BITONIA conjuge suscepit unicam filiam, imaginem sui. Percunctante PAPIRIO MASSONO, mallétne filium, quàm filiam habere; minimè respondit: Roma enim CICERONIS filium non agnoscebat loquentem. Præter varia ad jurisprudentiam pertinentia, scripsit & *Apologias tres* adversùs CALVINUM, & BEZAM Hæresiarchas, ab illis antea lacesitus; feruntque, CALVINUM nullius linguam, stylum, & eruditionem magis horruisse, quàm hujus Atrebatii familiaris quondam sui. Vitâ decessit MDCLXXII. Lutetiæ Parisiorum in Collegio suæ gentis Atrebatium, præsentibus uxore, & filiolâ, annos natus tres, & L. sacris ritu Catholico piò sumptis, testatus in Fide Ecclesiæ Romanæ se mori. Adfuit morienti, quo etiam usus erat familiariter, JOANNES MALDONATUS Bæticus Soc. JESU Theologus præstantissimus.





simus. Conditus est in Mathurinorum  
sodalium peristylio, quo & JOANNES A  
SACRO BOSCO, celebris abhinc annos ferè  
CCCL. Mathematicus situs est. MAS-  
SONUS grati animi auditor hoc ferè Elo-  
gium illi tribuit, & sarcophapho hæc in-  
sculpenda curavit.

C U F A C I  
BALDUINUS

HIC JACET,  
HOC TECUM REPUTA,

ET  
VALE.

MORTUIS VOBIS  
JURISPRUDENTIAM  
GRAVIS CORRIPIET  
SOPOR.

JO. AURATI.

FRANCISCUS *ille* BALDUINUS *nomine*  
*Re* BALDUS *alter, nomen ipsum quod notat;*  
*Non crassâ, ut ille, doctus ipsâ Pallade,*  
*Sed*



*Sed maximam qui juris ad prudentiam  
 Utriusque veteris, & novæ scientiam  
 Historiæ, & eruditionis junxerat.  
 Hic talis, atque tantus inter exteros,  
 Suosque notus, ultimos in Andibus  
 Exegit annos lectionis publicæ,  
 Auctore quam tum obibat Andino Duce,  
 Cum summo honore, & maximis stipendiis.  
 At ille cum Rex factus esset è Duce  
 Henricus omnium Polonum calculis:  
 Electus est hic Regis electi comes.  
 Sed æqua Gallis Parca tantum Galliæ  
 Abesse BALDUINI noluit decus,  
 Suumque Alumnum liberâ asseruit manu,  
 Patrio sepulcro: Juris ut summum caput  
 Juris supremâ in sede sit Lutetiâ.*

Obiit ix. Kal. Novembr. CIOIOLXXII.



Sylla-